



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

LVIII. De sanctis Angelis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

γον: ἡδυσμα, in studiis, non ἔδεσμα: condimentum, & jucundum *ἡδιδημα δ᾿ αὐτῶ*, non quotidianum pabulum ac nutrimentum.

## LVIII. DE SANCTIS

*Angelis.*

**E**XORDIUM ducetur à circumstantia temporis. Ante aliquot septimanas proposuit Ecclesia Dei meditandam doctrinam de Sanctis Angelis, & celebravit *φιλαθροπία* Dei, qui tam præstantes humano generi custodes à principio addidit, ut eorum ministerio adversus furores Saranæ, & multiplicia pericula vitæ defendatur genus humanum. Decerigitur & nos, qui in studiis litterarum versamur, hoc beneficium ministerii Angelorum recolere, cum Ecclesiæ & Scholarum una & consentiens vox esse debeat.

**PARTITIO.** Dicā igitur primò de officiis Angelorum in Ecclesia; tum quid in Rebusp. agant; ultimo quantas res in œconomiis gerant, pro virili exponere conabor, quibus absolutis finem dicendi faciam.

**CONFIRMATIONIS. I.** Pars docebit, quantas res pro salute Ecclesiæ gerant Angeli, quæ, ut clarius conspici possint, primum **OPERA MALORUM SPIRITVVM**, quæ in perniciem Ecclesiæ moluntur considerabis. Duæ proprietates tribuuntur Diabolo à Filio Dei, quòd sit mendax, & homicida. Est certè artificiosissimus pater mendaciorum, quæ tanta audacia, atque ideò venusta veritatis specie sparsit, ut ea animis hominum haud difficulter inferat: quod ubi perfecit, semel concepto veneno miseris animas in æternū præcipitat exitium. *Amplifica hoc consequentibus effectis.* Hinc tanta falsarum opinionum & impiorum dogmatum seges ut penè arenam maris citius numeres, quàm omnes temporum sectas, seu pravas de Religione sent

*Vel ab Exemplo Ethnicorum, qui cū soleant iis honores decernere, qui Rem. ab hostibus defenderunt, multo magis decet eorum nomē celebre reddere, qui non solum Christi Rēp. ab hostibus defendunt, sed & animas ab æterno interitu liberant. Opposita juxta seposita magis elucidant.*

*Singulis mo-  
mentis qua-  
rit, si quem  
suis prae-  
stis circum-  
ventum, ad  
aeternas,  
nulloq; tem-  
pore finien-  
das perdu-  
cere possit  
penas.*

*Psalm. 94.*

sententias oratione comprehendere queas. *Peri-  
culum illustra comparatione.* Quare quanto anima  
præstantior est corpore, tanto graviolem sciamus  
esse hostem, qui non corporibus solum; sed & a-  
nimabus æternum exitium machinatur. *Illustren-  
tur hæc exemplis,* inter quæ eminent historia primo-  
rum Parentum, eos quàm insidiosè exceperit, *dili-  
genter expone,* & quanta calamitas, & quam tristis  
ruina generis humani lapsum eorum consecuta sit,  
*indica.*

*Amplificabis* hostis in signem audaciam, cum pa-  
ri potentia conjunctam, quod non dubitaverit i-  
psum filium Dei aggredi partim insidiis, partim  
manifesta vi Matth. 4. ubi caluminosè citat Scri-  
pturam. *Conclude ex majore.* Si Christum aggredi  
non est veritus, multò minus parceret nobis.

*Huc refer* Parabolam ex c. 13. Matth. de inimico  
feminante zizania, & verba ipsius ex c. 18. lib. Pa-  
ral. *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum,*  
Hanc vim suam in omnibus Pseudodoctoribus  
ostendit, quod *comprobabis Exemplis:* Statim post  
Ascensionem Christi, vivente adhuc Ioanne Apo-  
stolo excitavit Ebionem, Cerinthum. Item S. Pau-  
lo Apostolo assiduum certamen fuit cum Pseudo  
Apostolis. Paulò post excitavit Arrium, Mani-  
chæos, Donatistas, Pelagianos. His temporibus  
furores Sectariorum noti sunt.

*Exaggeratione hic significa,* hinc etiam esse porten-  
tosam illam multitudinem Deorum apud Ethni-  
cos excæcatos. *Tum descende ad alteram Diaboli pro-  
prietatem.* Quia cernit Diabolus, se mendacio non  
penitus delere Ecclesiam posse, rem aperto Marte  
aggreditur, & summos quosque gubernatores o-  
dio Ecclesiæ inflamat, ut eam ferro & igni perse-  
quantur. *Probabis exemplis;* Abel occiditur à Cain,  
populus Israel in Ægypto, & in Iudæa premitur,  
Prophetæ occiduntur, Apostoli eorumq; audito-  
res,

ret, partim male mulctati, partim interfecti sunt. *Adde causam finalem huius furoris*: ut Ecclesia funditus deleatur, ne sit semen aliquod sanctum Deum rectè invocans & celebrans. Non enim sui emolumentum causa furit in genus humanum; sed gratis malitiosus est, ut duntaxat odium suum, quod adversus Deum semel concepit, quoquo modo expleat, & multos ex hominibus habeat æternorum cruciatuum socios: posteaquam enim ipse regno beatitudinis excidit, hominibus æternam beatitudinem invidet.

OPERA ANCELORVM, quibus Ecclesiæ serviunt, & damna à malis Spiritibus ei allata propulsant, *tractabis per antithesin*. Sunt enim veraces, amantes constantissimè veram de Deo doctrinam, ejus propagationem magno studio adiuvant, ac nostra salute mirice lætantur.

Huc refer exempla ex *Historia Evangelica desumpta*: Quomodo nuntiaverit Angelus Conceptionem Christi, & docuerit Josephum Mariam concepisse de Spiritu sancto: quomodo Christi Nativitatem pastoribus revelarint Angeli, eamque lætissimo cantico celebrarint: quomodo curam egerint nati infantis, ne ab Herode interficeretur. Itè quomodo Resurrectionem, & Ascensionem Christi ad cælos discipulis & mulierculis indicarint, *Adde Epiphonema*: ita præstantissimi Spiritus non dubitant sua voce concionari generi humano de præcipuis articulis nostræ Fidei, ut multos habeant æternæ beatitudinis socios.

*Accede ad considerationem beneficiorum corporalium*. Hostibus Ecclesiæ acriter resistunt, eamque contra manifestam vim defendunt: Ps. 34. *Castra & c. Proba exemplis* 4. Reg. 6. Angeli Elisæum Syrorum multitudinem circumdatum defendunt, & ministro ei aperiantur oculi, ut videat montem plenum equorum & currum, qui Angeli fuerunt. Itè Angelus  
mo-

*Vide Trium-  
phum seu  
pramiam Vir-  
tutum.*

monet magos, ne redeant ad Herodem, Act. 5. edu-  
cit Apostolos ex carcere Act. 12. liberat è carcere  
D. Petrum. Nec desunt nostra aetate exempla.

*Post hac congerie quadam amplifica conatus Diaboli  
in turbando ordine Politico.* Quoties enim instinctu  
ejus horrida bella mota sunt, quæ vastationes Im-  
periorum conjunctas habent? quoties imbellis  
multitudo puerorum, virginum, mulierum, senū,  
turmis equitum immixtis conculcata ac trucidata  
est quoties seditiones horrendæ motæ; quoties in  
obsidionibus decimati exercitus? quoties obsessi  
urbes inflammârunt, & in ignem se conjecerunt?  
*Adde unam atque alteram veterem historiam, ma-  
ximè memorabilem; item recentem aliquam, ut  
seditionem rusticorum, vel bellum Germanicum,  
in quo multa horrenda à peregrinis militib9 com-  
missa sunt.*

Piis ac sapientibus Magistratibus Diabolus,  
causas dissensionum seminat, excitat malos con-  
siliarios, & inquieta ingenia, ut publicam tranquil-  
litatem turbet, nulla sit hominum consociatio,  
& deleatis Imperiis ac turbatis Rebus publicis, non  
sit locus Ecclesiæ.

*Ab antithesi expone OPERA BONORVM ANGE-  
LORUM in ordine Politico conservando, eaque declaræ  
exemplis, Dan. 10. narrat Angelus, se restitisse Dia-  
bolo in aula Regis Persici, ne turbaret Imperium. 4  
Reg. 10. Angelus Domini interficit exercitum Af-  
syrorum, qui venerat adversus Ezechiam. Adde  
breve admonitionem, ut cogitent singuli, se in his  
regionibus divina misericordia præsidio Angelo-  
rum defensos esse, & ut petant porrò custodiam  
Angelorum, qui Diaboli furores reprimant.*

Quibus insidiis & fraudibus conetur Diabolus  
turbare ordinē Oeconomicū sic expone. Multis ma-  
chinis conjuges oppugnat; variis & vanis curis &  
cogitationibus de victu, de periculis sibi & toti fa-  
mi-

milia impendentibus conatur adigere ad desperationem; seminat odia, discordias, rixas; obruit contumeliis, & calumniis, &c. Adhæc ranta ejus est rabies adversus miseram & imbecillum puerorum ætatem, ut singulis propemodum horis nova consilia in eorum perniciem meditetur: nunc præcipitat ex alto pueros, nunc aquis immergit, nunc igne lædit, nunc ruina alicujus molis obruit, nunc alio instrumento periculoso fauciat: & hoc agit, ut non ipsos liberos duntaxat tragico casu tollat è medio, sed ipsos etiam parentes luctu & mœrore extinguat. Quanto ipsam familiam furore incitet ad impietatem, mendacia, & contumaciã erga dominos, quibus cū familia, veluti cum viperis, assiduo luctandum est, *preteritione quadam tractabis.*

*A contrario describe bonorum Angelorum curam pro statu œconomico. Pro conservatione hujus gradus vitæ ἀσπουδὸν bellum gerunt Angeli cum Diabolis.*

*Vide libellum de Sodalitate Angelica.*

Rem enim œconomicã omnib. modis promovet, insidias Diaboli aut avertunt, aut evertunt, cōjuges, liberos, & familiam adversus omnia pericula defendunt. *Confirma testimonijs Scripturae Ps. 93. Angelus suis, &c. Ps. 33. Angelus Domini in circuitu timentium Deum. Adde Exempla, SS. Patres veteris Testamenti sæpe cū magnis familiis vagantes per loca periculosa defensi sunt ab Angelis, ut Jacob cum tota familia præsidio Angelorum munitus fratri Esau irato venit obviam, ac ab eo non inhumaniter excipitur. In historia Tobia illustra sunt Exempla, quomodo Angeli curent pios conjuges, & eorum liberos, & multa incommoda domestica partim tollat, partim mitiget. Agar in deserto cōsolationem accepit ab Angelo. Præcipue verò Angeli amant & fovent teneram puerorum ætatem, propterea quòd ea ætas nõ ita horrèdis inquinata est sceleribus quantis grandior ætas contaminatur. Proba à testimonio parentum, qui verè fatentur,*

*Vident faciẽ  
&c.*

*Pars I.*

○

*fieri*

fieri non posse, ut vel unum infantem educant sine singulari Angelorū præsidio. *Item à testimonio piorum*, qui mirandam ex periculis liberationem consueverunt attribuerè & ascribere præsentia Angeli.

*Hic descende in vicinum locum de assidua cura Angelorum, qua agmen scholasticum tuentur. Et hic commemorabis furores, & insidias Diaboli adversus hunc cœtum, cum sciat Scholas esse fontem horum trium Ordinum in vita, Ecclesiastici, Politici, & Oeconomici. Turbato igitur & infecto hoc fonte, non erit ei difficile reliquos gradus vitæ insigniter labefactare.*

*E contrario amplificabis studium Angelorum in hoc cœtu defendēdo. Quoties enim cripiunt studiosos ex locis periculosis, veluti ex quodam incēdio? quoties ex pravo sodalicio, veluti lue quadā latè grassante, eos retrahunt? Nam cum in cœtu scholastico plurimos labores generi humano salutare esse possunt, veluti pædagogicos sectantur, deducunt in scholas, reducunt, assident ipsis, & Diabolorum furores arcent.*

*Comproba dicto S. Augustini: Magna cura & vigilantissimo studio adsunt nobis Angeli omnibus horis & locis, succurrentes & providentes necessitatibus nostris, sollicitè discurrentes inter nos & ad te, Domine gemisus nostros, & suspiria referentes: ambulant enim nobiscum in omnibus viis nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes quā pie quam honestè in medio, prava nationis converseremur, quantoq; timore serviamus, & exultemus tibi in latitia cordis nostri. Adiuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur patientibus.*

*In CONFUTATIONE respondebis huic Objectioni: Quærat aliquis, qui fiat, quòd non omne malum depellant Angeli à cervicibus piorū? id fit, partim quia*

quia nostris peccatis eos abigimus, partim Dei concessu, qui suo certo consilio vult premi Ecclesiam, ut exerceatur fides, invocatio, patientia, & similes virtutes. *Hic digredere ad explicationem doctrina, quomodo sancti Angeli retineantur.* Retinentur vera animi pietate, & honesta morum gubernatione, hoc est, cum ipsorum exemplo Deum rectè agnoscere, invocare & celebrare discimus, eum amamus, & veneramur, & ingens hoc Dei beneficium, quòd Angelos custodes donavit, grata mente celebramus: contra repelluntur & amittuntur impietate, blasphemis, otio, impuritate sermonis & morum, tyrannide, & injustitia, & cum eorum in locum succedunt Diaboli.

*PERORATIO constabit adhortatione ad considerationem immense misericordiae Dei & amoris, quo complexus humanum genus tam praestantes custodes ei addidit.*

PRIMÒ, ut considerent genus humanum Deo curæ esse. SECUNDÒ, ut considerent nostram imbecillitatem, & potentiam Diaboli. TERTIÒ, ut considerent magna beneficia, quæ singulis momentis nobis praestant Angeli, dum defendunt Ecclesiam, Politiam, Oeconomiam, & cæterum Scholasticum. QUARTÒ, ut ament virtutes, & studeant retinere hos castissimos & fidelissimos custodes: *Ad extremam gratias ages Domino Deo, quòd ministerio Angelorum hactenus nos defendit, & precaberis eundem, ut deinceps praesidio Angelorum nos defendere dignetur.*

### LIX. ELOGIUM AGRICULTURÆ.

INITIUM huic Orationi dabis, si docens, olim consuetum fuisse Romanis, (qui certè inter priscae gentes optimè de rebus statuerunt semper, & iudicarunt,) ut si virum bonum laudare vellent, eum

Q 2

bonum

*Vide Orat. Majoragii Praef. 7.*